



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Ex dictis deducitur, An peccet mortaliter Sacerdos, accepta[n]s sine
lice[n]tia onus perpetuum Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Ad id, quod additur, respondeo omnem penam supponere culpam materialem, seu juridicam, hoc est transgressionem legis, non vero semper supponere culpam theologiam, seu in conscientia. Et sane communis est doctrina cum Sanchez in Dec. lib. 6. cap. 4. num. 13. Castrop. tom. 1. tract. 3. de leg. disp. 1. p. 2. n. 3. Ad quartum, posse legem obligare solum ad penam, nullâ ratione intendendo obligare ad veram culpam, exemplumque sollet affert de Regulis Fratrum Prædicatorum obligantibus ad penam, non vero ad culpam.

17. Ad rationem secundæ sententiæ allatam n. 13. quatenus est contra nos, Respondetur negando appositionem penæ non diminueri vim præcepti: nam quando fertur præceptum cum appositione penæ, ipsa vis præcepti restringitur ad solam penam quando vero sit præceptum absolute, cum non sit unde restringatur, obligat ad totum, ad quod se extendit vis præcepti, adeoque in materia gravi graviter; atque ita est ex communi consuetudine, usuque fidelium testantur Doctores cum Val. loc. cit. mox. citando par. 6. §. 3. Verbo Sacrum præceptum. Castrop. tom. 1. tract. 3. de leg. d. 1. p. 9. num. 3. Vnde nec negamus, quod etiam quando additur pena, si lex sub illa penâ à communi existimatione, fideliumque usu acceptetur, ut obligans sub mortali, idque certo constat (nam in dubio, pro libertate) sub mortali obligabit. Ita Suar. de Sacram. disp. 8. sect. 1. §. Hac res. Hæc de Euch. d. 2. diff. 3. Val. par. 2. d. 7. q. 5. p. 6. §. Quinque signum. Cujus rei ratio est, tum quia optima legum interpretis est consuetudo, l. si de interpret. ff. de leg. cap. Cum dilectus, de consuetud. tum quia ipsa consuetudo legitima vim habet legis. l. Diuturna, ff. de legib. S. Thom. par. 2. q. 97. art. 3. tum quia legislatores expresse vel tacite volunt ita communitatem obligare, licet ipsa communitas pro majori saltem sui parte, libere non autem per ignorantiam, vel coactè, vult ad aliqd obligari. Ita Val. loc. cit. §. Quinque signum. Atque id videtur est in jejuniis Ecclesiasticis, in abstinentia à carnibus, certis diebus, in auditione Missæ, diebus festis in annua confessione, & communione Paschali, & similibus, quorum gravis obligatio, etiam si colligi ex alio capite non posset, certe ex communi estimatione, & consuetudine recepta, esset colligenda. Responsiones ad alias minus principales rationes adversariorum, facile invenies apud citatos.

Ex illis deducitur, an peccet mortaliter Sacerdos accipiens sine licentia onus Missæ perpetuum.

18. Id nunc facile est decernere. Recole autem id à Sacra Congregatione prohiberi sub pena ipso facto Interdicti, Inhabilitatis ad officia, & Privationis vocis activæ, & passivæ. Iam qui tenent penas ejusmodi positas in legibus esse signum mortalis obligationis, consequenter tenent, ejusmodi Sacerdotem peccare mortaliter. Qui vero illud negant, negant & hoc, esto prædictis penis subiaceat. Quod utrumque esse probabile, & notum, ex rationibus, & auctoribus pro utraque sententia allatis, nequaquam videtur negandum.

§. IX. Super illud §. primi, num. 3. Eleemosynas vero Manuales.

Vbi

Præcipitur, ne Sacerdotes eleemosynas pro Missis recipiant nisi pro antea promissis satisfecerint.

Sacerdos obligavit se ad celebrandas tot Missas, stipendio suo recepto, quibus nondum celebratis, eadem sponte offertur alia eleemosyna pro aliis Missis, potestne recipere, seque obligare ad Missas eo prætextu, quod vel has, vel illas, quando commodè poterit, satisfaci?

Decernit Sacra Congregatio num. 13. non posse, nisi

quando infra modicum tempus poterit satisfacere, ut eadem Sacra Congregatio explicat n. 40.

2. Et quia dubitatum fuit, n. 4 id sine exceptione, intelligatur? Responditur, 43. adesse exceptionem unam, nimirum quando expresse ad dilationem consentiunt ij, qui Missas exposcunt.

3. Iterum dubitatum fuit. An Rectores Ecclesiæ magnæ devotionis possint eleemosynas recipere pro Missis, quibus non nisi post longum tempus satisfacere valeant, possint, inquam, ex eo capite, ne scilicet cultus Divinus, devotio, & concursus populi minuat? Respondit ibidem, non posse sine expressa voluntate offerentium eleemosynas.

Quantum importet illud (modicum tempus)

4. Dubitabis insuper Primò: quale est huiusmodi modicum tempus, quo differt Sacerdoti licet Missas, accepto stipendio, promissas, quando non adest pactum, & conventus, ut nunc, seu in tali determinato die celebrentur?

Respondeo. Alij docent arbitrio prudentis, juxta Missarum numerum, necessitatem illas petentium similesque circumstantias id esse decernendum: sicuti decidunt communiter Doctores in illa verba Iuriconsulti l. Si cum dies, de recep. arb. Si intra modicum tempus dederit, penam vitabit. Lege Menoch. de arbit. Inducium lib. 2. cent. 1. cap. 8. n. 10. ad finem. Alij licere docent novis Missarum oneribus se gravare, si intra mensem possint quis se veteribus deonerare. Sic Marchin. de ord. tract. 3. p. 2. c. 31. num. 5. Alij idem tempus extendunt ad duos menses. lege Ripam in l. si insula, n. 36 ff. de verb. significat. Alij denique ad tres. Sic Ledesma, & Villalobos citati, & approbati à Delugo de Euch. d. 21. sect. 2. n. 34. Omnes probabiliter, nisi tamen ex circumstantiis colligatur à postulantis Missas majorem celeritatem requiri, juxta mox dicenda num. 8. Ratio autem ejusmodi probabilitatis est, quia hoc judicari communiter solet modicum tempus, & colligitur ex c. presentium 7. q. 1. Vbi absens à sua Ecclesia per duos menses, causa ægri tudinis, non dicitur de fuisse: & ex Tridentino sess. 23. de refor. c. 1. & sess. 24. de reform. c. 12. ubi Canonici, & similibus per duos, Episcopi per tres menses conceditur posse à suis Ecclesiis abesse. Scio Peyrinum declar. Consult. 9. Verb. VI II. Ad. 10 modicum tempus intelligere spatium trium annorum: sed profecto ei acquiescere non possum.

An Missa celebranda pro Excommunicato vitando differri possit?

5. Dubitabis Secundò, si Sacerdos obligaretur ex stipendio celebrare aliquot Missas pro Petro v. g. & accideret, Petrum nunc fieri excommunicatum non toleratum, rectène faceret Sacerdos, si differret dictas Missas, donec Petrus absolveretur, ad tempus scilicet habile, quo poterit dicto fructu Missæ Petrus gaudere?

Respondeo, rectè facturum puto, nisi quid expresse, conventum sit, sic enim utiliter Sacerdos geret negotium Petri. At Sacerdotem ad differendum non obligo, quia debitor quando non est ex pacto præfixum tempus solvendi, solvere quando vult, potest, nec tenetur expectare tempus, quo utilior esset Creditori solutio. Adde Petrum posse se contere, & sic ex dictis supra lib. 2. cap. 2. §. 4. n. 6. fieri probabiliter aptum ad lucrandum Missæ fructum. Quare si is contritionem negligat, sibi imputer, non Sacerdoti non expectanti.

De penis Missas intra modicum tempus non satisfaciendum.

9. Dubitabis Tertiò, qui has Manuales eleemosynas suscipiunt, nec Missas postulas infra debitum tempus celebrent, quamnam penam incurrunt?

Respondeo